



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXCVII. An motus Angeli per medium possit esse in instanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

CONCLVSTO est, Motus Angeli est in tempore: si sit continuus, in continuo tempore: si vero sit discretus, in tempore non continuo, sed discreto: in huius vero doctrinæ explicationem sequens disputatio futura est.

DISPVT. CXC VII.

An motus Angeli per medium, possit esse in instanti.

Angelum per medium moueri posse in instanti, non pauci existimant, c. 1.

Angelum per medium non posse in instanti moueri verior opinio infert, c. 2.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ, c. 3.

De motu discreto Angeli, cap. 4.

CAPVT I.

Angelum per medium moueri posse in instanti, non pauci existimant.

NON pauci, nec inferioris notæ Scholastici opinati sunt, Angelum moueri posse motu continuo de vno extremo ad aliud per medium in instanti temporis: ita Albert. in 1. dist. 37. art. 23. & 24. Henricus quod lib. 13. q. 7. Gregor. in 2. dist. 6. q. 3. art. 2. concl. 1. Maior d. 2. q. 12. Marsil. in 2. qu. 7. art. 3. concl. 1. referunt etiam a Greg. in hac sententiam Hibernicus, Gregor. autem, & Gabr. loco inferius allegando animaduertunt, hic non esse quaestionem de motu continuo successione partium, nullus enim dubitat talem motum esse non posse in instanti, cum habeat in se successionem, quæ tempori necessario æquari debet, sed de motu de extremo ad extremum per medium, hoc enim appellant continuum ratione spatij, etiam si in se partes non habeat: hunc ergo asserunt esse posse in instanti. Excitatis vero Doct. Hibernicus solum dixit non modo fieri posse in instanti, sed etiam necessario, ita fieri debere: ceteri vero tantum affirmant, liberum esse Angeli in instanti, aut in tempore per medium moueri. Omnium autem ratio communis est sumpta ex Arist. 4. Physic. text. 61. ubi probat, corpus in instanti motum iri, si per vacuum moueretur, hac ratione tota causa successionis in motu est resistentia spatij pleni, & quo minor est illa, velocior est motus: ergo, si nulla esset resistentia in medio, motus esset summe velox, summa autem velocitas est in instanti, ergo in instanti moueretur. Hæc ratio, si in corporibus aliquid probat respectu vacui, conuincit etiam in Angelis respectu pleni: nam sicut vacuum corpori nullo modo resistit, sic etiam plenum nullo modo Angeli resistere valet: plenum enim ratione suæ quantitatis, & densitatis solum resistere potest, alteri corpori, quod quantum, & densum est iuxta mensuram densitatis maioris, aut minoris. Ex hoc eodem principio infert Gregor. corpus humanum præditum dote agilitatis eodem modo moueri posse per plenum in instanti, sicut Angelus potest moueri. Hac eadem ratione vtiur Hibernicus, vt probet, non solum Angelum posse per medium in instanti moueri, sed etiam non posse in tempore per medium transire: nam si tota ratio successionis in motu est resistentia medij, non erit libertatis Angeli motum extendere partium successionem, sed necessario in instanti motus esse debet.

Albert.
Henric.
Gregor.
Maior.
Marsil.
Hiber.

ARTIC. III.

CAPVT II.

Angelum per medium non posse in instanti moueri, verior opinio infert.

Opposita sententia videtur amplectenda, quæ affirmat Angelum non posse moueri de extremo ad extremum per medium sine successionem, & continuationem motus: ita docet S. Thomas, Caietanus, & recentiores communiter in hoc art. Bonau. in 1. dist. 37. 2. p. art. 2. q. 3. Ricardus art. 3. q. 1. Aegidius eadem dist. 2. part. quest. 3. Scotus in secundam dist. 2. q. 1. paulo ante solutionem argumentorum, Gal. q. 3. art. 3. si attente legatur, Capreslin 2. dist. 6. quest. 1. art. 1. conclus. 4. Ferrar. 3. con. gent. a. c. 2.

At vero S. Thomas quem sequitur Caietanus, peculiari quadam ratione voluit hanc sententiam confirmare, quæ talis est, quidquid mouetur, habet in aliquo loco quiescit, debuit esse in illo loco per tempus vsque ad vltimum instanti: omne enim, quod quiescit, eodem modo se habet nunc, & prius, & postea, ac proinde debet permanere vsque ad vltimum esse in eodem loco: quare impossibile est, vt in instanti sit in alio loco per motum, alioquin duo instantia essent sine medio, ergo necesse est in tempore post quietem moueri.

Ego sane fateor omnem quietem, quæ præcedit motum, successum durare per tempus, & habere vltimum esse in vltimo quodam instanti: de ratione quietis esse habere vltimum esse, non video. Non enim implicat contradictionem, vt mobile aliquid sit sub aliqua forma per tempus, & definit esse sub illa per primum non esse, & per primum esse sit sub forma sequenti, atque ita idem instans sit primum esse forme sequenti, & primum non esse precedentis, vt in temporibus, & illuminatione fit: ergo quies ex se non prohibet terminari vltimo esse, sed iuxta inceptionem forme sequenti vno, & alio modo terminari potest: ac proinde non repugnat, Angelum esse in vno loco per tempus vsque ad primum non esse, in quo per primum esse incipiat in alio loco esse, vt ergo probaret S. Thom. inceptionem motus sequenti, non deberet assumere definitionem quietis precedentis, siquidem quies vno, & alio modo se definire potest: & varij modi, quibus definire potest quies, ex vario modo inceptions forme sequenti pendent, vt probatum est.

Atqui si opinio Ferrar. vera esset, quæ docet Angelum non posse in loco esse, nisi per operationem transeuntem, cum nullam Angelus habere possit in corpora virtute propria præter motum secundum locum, & sic incipiat per vltimum non esse, fieret, vt propria virtute Angelus non possit loco moueri, nec locum vlla ratione mutare, nisi per tempus. Verum, cum dictum sit Angelum esse in loco per modum substantiæ, & in possit in instanti incipere esse in loco, & ita multos modos opinandi in hac re Angelus incipiat esse in nouo loco, deferendo priorem, per primum non esse, quod est primum esse sequenti, atque per multi nihilominus asserunt, non posse de extremo ad extremum transire per medium in instanti, sed necessario in tempore transire: si autem situm fieri debere; alia ratio querenda est: nunc enim non querimus, an possit vnum locum deferere, & acquirere alium in instanti, sed an de extremo ad extremum per medium in instanti transire possit.

Ratio vero, quam insinuantur Bonau. Ricard. & Scotus iuxta quamlibet opinionem de modo, quo Angelus existit in loco, me quidem iudice, aperte demonstrat, nec virtute propria ipsius Angeli, nec virtute Dei fieri posse, ut Angelus, vel corpus de extremo ad extremum per medium in instanti moueatur. Ratio vero est huiusmodi; vel Angelus simul in eodem instanti est in medio, & sine, seu extremo spatij, vel successione aliqua: neque enim alius modus existendi inter hos duos modos excogitari potest. Si dicas esse in instanti ita, ut per primum non esse desinat existere in vno extremo, & per primum esse constituatur in altero extremo simul, & in medio, hoc quidem fieri non repugnat, si medium, & extremum posterius sunt locus adequatus virtuti Angeli, iuxta ea, quae diximus disp. 191. c. 2. at hoc certe non est moueri de extremo ad extremum per medium, sed de vno in alium locum sine transitu per medium; cum enim simul duratione mobile constituat in alio extremo, & in medio, non potest dici per medium moueri, si quidem particula per aliquod genus prioris denotat: in eo autem casu nullum significare posset.

Hec sane ratio non modo probat, non posse Angelum de extremo ad extremum per medium sine successione moueri virtute propria, de qua solum loquitur Scotus, verum etiam nec de potentia absoluta Dei: ostendit enim manifestam contradictionis implicationem. Eodem quoque argumento probatur, motum corporis per vacuum sine successione fieri non posse, nam cum corpus implere nequeat totam vacuitatem simul, sed certam partem propriae quantitatis respondentem, efficitur, ut successus solum per motum illum replere possit: verbi causa, si in summitate fistulae vacuae bipedali ponatur aqua pedalis, illa non poterit simul totam fistulam replere, sic enim maiori quantitati, quam suae aquae responderet, quod est absurdum, ergo deberet motu successivo paulatim totam illam inanitatem replere, ac proinde in instanti non moueretur.

Verum huic rationi respondet Gregor. in eodem instanti Angelum esse in caelo, & in terra, & in locis quantumvis distantibus simul, & in medio, & corpus in toto vacuo, quantumcumque magnitudinis sit, non permanenter (inquit ille) sed transiente: & ita posse Angelum per plenum, & corpus per vacuum, de extremo ad extremum per medium in instanti moueri. Hoc tamen responsum verbis potius ludere videtur, quam rem explicare: nam si Angelus est simul in eodem instanti in principio, medio, & sine, etiam si modica sit duratio in illis locis, & solum per instans perfecteretur, dici nulla ratione potest per vnum locum ad alium transire, ut probatum est: quare nec dici poterit esse in medio transiente. Adde, quod cum patres citati disput. 190. c. 3. affirmant Angelum, dum est in caelo, non esse in terra, id etiam intelligunt per instans: nam si per instans vtrobiq; esset, iam sequeretur, dum est in caelo, posse quoque in terra esse.

Præterea posset quis prædictæ rationi hoc modo respondere, particulam *per*, cum dicimus *per medium*, non successionem durationis, sed ordinem aliquem causæ denotare, & ita, etiam si Angelus non sit prius duratione in medio, quam in fine, & extremo spatij, dici nihilominus moueri

Vnde in 1. p. tom. 2.

per medium, quia existentia in medio habet rationem causæ respectu existentiae in extremo: veluti Sol dicitur illuminare aquam per aërem, non quia prius duratione aëris illuminetur, quam aqua, sed quia hoc ordine lux Solis illuminat corpora diaphana, ut per modum causæ prius illuminet medium, quam extremum.

Hoc tamen responsum licet subtile videatur, Reicitur, firmum tamen fundamentum non habet, quoniam exemplum allatum simile non est: etenim agens naturale, quale est luminosum, etiam si in instanti in corpus sibi subiectum producat totum effectum, hoc tamen ordine agit, ut indigeat continuatione passivi, in quo effectus eius recipiatur, ita, ut ablata priori parte, in reliquis agere non possit, & ideo recte dicitur Sol illuminare extremum per medium: sed lux producta non dicitur motu secundum locum transire ad extremum diaphani per medium, si simul est vtrobiq; at corpus, quod mouetur per vacuum, vel Angelus per plenum, non dicuntur operari in spaciū continuatione aliqua, sed in seipsis motum secundum locum recipere: quare, nisi prius duratione sint in vna distantia, quam in alia, non dicuntur per vnam in aliam moueri: si enim simul sunt in medio, & extremo, vna erit indiuisibilis distantia: quomodo ergo dicitur, ex vna in aliam per medium moueri?

Præterea recte fieri potest, ut virtus alicuius agentis operetur in spaciū cōtinuum, & ratione prioris partis in posteriorem simul in eodem instanti effectus diffundatur, non quidem æqualis cum priori parte, hoc enim esset impossibile: sed adequate extensus per totum medium, ita ut vna pars ex alia pendeat aliquo modo, quia sine illa produci non posset, ut experimento constat: at vero eandem quantitatem corporis vnius pedis esse simul in vacuo capaci maioris quantitatis, impossibile certe est, etiam potentia Dei absoluta, nisi Deus idem corpus, quasi replicatum constituat in diuersis distantis: tunc autem non moueretur per vnum locum in alium, ut constat: idem de Angelo dicendum est respectu loci sibi adequati, ut simul esse nequeat in maiori, nisi potentia absoluta Dei: tunc autem non moueretur per vnum locum in alium.

CAPVT III.

Disiunguntur argumenta Prioris sententiae.

Argumentum autem desumptum ex vacuo pro prioris sententia facile dilui potest: namque probatum est, nullum corpus per vacuum moueri posse de extremo ad extremum per medium sine successione, imo neque simul esse in medio, & extremo, sed in ea sola parte vacui, quæ sua quantitate adequate repleri potest. Quare aut sententiam Aristot. non probamus, cum dicit corpus per vacuum in instanti necessario moueri; aut asserendum est, id non ex propria sententia docuisse, sed contra eos, qui affirmabant, totam causam successionis motus ex resistentia pleni provenire, & nihilominus in vacuo corpus posse moueri. Dicimus itaque secundum veram philosophiam successionem motus non ex pleni resistentia, sed ex natura quantitatis mobilis provenire, quia talis est, ut prius debeat esse in loco anteriori sibi adequato, quam in posteriori, nec quamlibet vacuitatem replere possit. Hanc vero resistentiam

S f philo-

QVÆSTIO LIV.

De cognitione Angelorum.

que illorum cum respectu ad reliqua: sicut numerus non est in singulis vnitatibus per se, sed in omnibus simul, vel in qualibet cum respectu ad alias: ita notavit Gaetan. in commentario circa solutionem primi.

Quæ fœntentia quamvis vera fit, nihilominus dici poffent plures mutationes fecundum locum, quando poffit vnus loci plura adquiruntur abique continuatione, quarum quælibet efferet instantanea, quæ terminus ad quem in inflanti produciatur. Nec obstat quidam luccellio, quo ibi effer inter terminum à quo, & terminum ad quem, hæc enit in omnibus mutationibus, quæ fiunt in inflanti neceffario effer debet, nam mutatio non effer, nifi adqfuitio termini ad quem, quæ fit in inflanti, etiam fi refpiciat terminu à quo. Poſſe autem dici plures mutationes, ex eo probatur, quia in quouis loco, ex quo ad alium difcrete tranſit Angelus, debet effer quies per tempus, ergo quies in illo nō pertinet ad motum; alioquin cum quis mouetur ex vna qualitate in aliam, & in qualibet illarum quieſcit, diceretur vnus motu difcrete moueri, & fimiliter in motu fecundum locum, quando quiete per tempus interrumperetur: porro Angelum quieſcere per tempus in quouis loco, ex quo ad alium difcrete tranſit, ſic oftenditur: Angelus, antequam adquirat fecundum locum, debet effer in primo ita, vt effer in vno, ſit non effer in alio: ſed in fecundo, & in tertio, & ſic de aliis, incipit effer in inflanti noſtri tem potis, & per primum effer, illud igitur primum effer ſecundi, effer primum non effer primi, & primum effer tertij effer primum non effer ſecundi, & ita de reliquis: ergo in quouis loco, in quo deſinit effer Angelus per primum non effer, neceſſario fuit per tempus, & vt manifeflum effer, ac proinde per tempus quieſcit. Exiſtentia autem in loco per quietem ad motum pertinere nō poteſt, vt pars, ſed vt terminus, à quo, ergo plures erunt mutationes, non vnus motus.

Respondent nonnulli, motum Angeli discretum consistere instantibus diuersis temporibus discreti, quod putant esse alterius rationis a nostro, quod continuum est, & ita in singulis locis esse per instant tantum illius temporis, ac proinde existantiam in quouis loco ad motum per se pertinere: nihil autem ob stare, quo minus instantia illius temporis immediata sint, hoc enim peculiare est temporis discreti, quod solis instantibus componitur. Verum concedamus illis durationem intrinsecam existentiae in illis diuersis locis esse, & appellari tempus discretum diuersum a tempore nostro, quod in motu caeli, vel corporis consistit: nihilominus non debemus dicere durationem illam existentiae Angeli in diuersis locis seipsum metiri, ut constet ex dictis in disp. c. i. ubi probauimus nostrum tempus metiri etiam has Angeli operationes, aut saltem, licet earum mensura non fiat, negari non potest eas coexistere temporis nostro, & ita necessario manere Angelum in quouis loco per durationem temporis nostri, ut probatum manet, id quod satis est, ut existentia in quouis loco dicatur quies, & ad motum nulla ratione pertinere. Ceterum in hac re hoc, vel illo modo loqui parum interest.

Vasques in 1. p. tom. 2.

ARTICVLVS I.

Vtrum intelligere Angeli fit eius substantia.

APrimum sic proceditur. Videtur, quod intelligere angelis sit eius substantia: angelus enim est sublimior & simplicior, quam intellectus agens animæ. Sed substantia intellectus agens est sua actio, ut patet in 3. de Anima per Aristotelem, & eius commentatorem. Ergo multo fortius substantia angeli est sua actio, quæ est intelligere.

2. Præterea. Philosophus dicit in 11. Metaphys. quod actio intellectus est vita: sed cum viuere sit esse viuentibus, ut dicitur in 2. Anima, videtur quod vita sit essentia. Ergo actio intellectus est essentia intelligentis Angeli.

3. Præterea. Si extrema sunt vnum, medium non differt ab eis, quia extremū magis distat ab extremo, quam medium. Sed in Angelo idem est intellectus & intellectum ad minus in quantum intelligit essentiam suam. Ergo intelligere, quod cadit mediū inter intellectum & rem intellectam, est idem cum substantia angeli intelligentis.

Sed contra. Plus differt actio rei à substantia eius, quam ipsum esse eius : sed nullus creaturum esse est sua substantia. Hoc enim iolius Dei proprium est, vt ex superioribus patet. Ergo neque angeli, neque alterius creaturæ sua actio est eius substantia.

Respondedo dicendum, quod impossi-
bile est, quod actio angeli vel cuiuscun-
que, alterius creaturae sit eius substantia:
Actio enim est proprie actualitas virtu-
tis, sicut esse est actualitas substantiae, vel
essentiae. Impossibile est autem, quod ali-
quid quod non est purus actus, sed ali-
quid habet de potentia admixtum, sit
sua actualitas: quia actualitas potentia-
litati repugnat. Solus autem Deus est
actus purus. Vnde in solo Deo sua sub-
stantia est suum esse et suum agere. Prae-
terea.

 $S f_2$

terca.

275.
2. d. 2. qu. 1.
artic. 1. col.
C. 7. Et 2.
contr. c. 25.
C. quodl. 1.
art. C. 4. Et
opuscul. 30.
leg. 7. C. 9.

Q. 3. art. 4.
 C. 9. 44. art. 5.
 2. 6. 1.

terea. Si intelligere Angeli esset sua substantia oporteret, quod intelligere Angeli esset subsistens. Intelligere autem subsistens non potest esse nisi vnum, sicut nec aliquid abstractum subsistens. Vnde vnus Angeli substantia non distinguere- tur, neque à substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens, neque à substantia alterius Angeli. Si etiam Angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectius & minus perfecte, cum hoc contingat propter diuersam participationem ipsius intelli- gere.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, quod intellectus agens est sua actio, est prædicatio non per essentiam, sed per concomitantiam: quia cum sit in actu eius substantia, statim quantum est in se, concomitatur ipsam actio. Quod non est de intellectu possibili, qui non habet actiones, nisi postquam fuerit fa- ctus in actu.

Ad secundum dicendum, quod vita non hoc modo se habet ad viuere, sicut essentia ad esse, sed sicut cursus ad curre- re, quorum vnum significat actum in ab- stracto, aliud in concreto. Vnde nõ sequi- tur, si viuere sit esse, quod vita sit essentia. Quamuis etiam quandoque vita pro es- sentia ponatur: secundum quod August. dicit in libr. de Trin. quod memoria, & intelligentia, & voluntas sunt vna essen- tia, vna vita: sed sic non accipitur à Phi- losopho, cum dicit, quod actio intellectus est vita.

Ad tertium dicendum, quod actio, quæ transit in aliquid extrinsecum, est media inter agens, & subiectum recipiens actio- nem. Sed actio quæ manet in agente, non est realiter medium inter agens & obie- ctum, sed secundum modum significandi tantum. Realiter vero consequitur vni- onem obiecti cum agente. Ex hoc enim quod intellectum sit vnum cum intelli- gente, consequitur intelligere, quasi qui- dam effectus differens ab vtroque.

CONCLVSIO est, Intelligere Angeli non est illius substantia, circa quam brevis erit cum Aristo- tele & Durando controuersia.

DISPVT. GXCVIII.

An intellectio in Angelo sit sua substantia.

Sententia Aristot. & Durandi, c. 1.

Intellectionem in Angelo non esse eius essentiam verior sententia docet, c. 2.

ARTIC. II.

CAPVT I.

Sententia Aristot. & Durandi.

Facilis sane cum Aristot. & Durando de hæc controuersia est, quam paucis quoque expe- diemus. Aristot. igitur 12. metaph. 4. 7. cum docuit, Deum esse vnam substantiam immortalem, & perpetuam, semper intelligentem, cuius essentia sit intelligere; idem quoque de aliis substantiis separatis c. 9. affirmare videtur. Ostendit autem primum, intellectionem harum substantiarum non mutari, quia alioqui in intelligendo muta- rentur: Deinde earum substantiam esse eam in- telligere, si probat quia, si esset aliquid acciden- tis, non essent nobilissima substantia, vipe inoppo- nit. Hanc sententiam eo loco amplectitur Com- mentator Alexand. Aphrodis. & Philopon. Et Scito- lasticis vero nostris solus Durand. in 2. disp. 3. q. 6. ad primum aliter cognitionem, qua Angelus seip- sum cognoscit, esse suam substantiam: et enim in hæc verba, Quamuis intelligere sit actus potentie intellectiue Angeli, reuocatur ab ipsa differens, quando intelli- git rem aliam a se: tamen esse non est actus essentie reuocatur ab ipsa differens. Vbi, cum concedat intellectionem realiter distingui à potentia intelligente, quando Angelus intelligit alia præter se, id non videtur concedere de intellectu, quia seipsum cognos- cit: cumque dicat potentiam intelligentem esse idem cum essentia, videtur plane existimare, in- telligere non distingui ab essentia & substantia Angeli, quando seipsum intelligit.

CAPVT II.

Intellectionem in Angelo non esse eius essentiam, verior sententia docet.

Communis sententia Scholasticorum ample- ctenda est in secundum disp. 3. quos inferius singulatim referemus, qui asserunt cum S. Thome in hæc art. intellectionem in Angelo, qua seipsum vel alia intelligit, non esse eius essentiam: & sub- stantiam, sed accidens quoddam ei adiectum. Colligitur autem ex Leone 1. in epist. 9. 1. c. 1. ubi ita loquitur, Sicut solus Dei proprium est veritatem esse, sic etiam nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis, & sapientia, atque iustitia: solus autem Deus nullam parti- cipationis est indigens. Id vero, quod de hominibus definit Leo, de quauis creatura, etiam spirituali intelligit, cum dicat solius Dei proprium esse in- creatum esse, sapientiam esse, &c. Dum quoque cap. 11. de cal. hierar. inquit Omnes mentes coelestes diuidi in essentiam, virtutem, & actionem: que tria etiam distinguit Anselm. c. 8. de casu diabol. Ad hæc constat ex scriptura Angelis post creationem cursu temporis multa fuisse reuelata: horum igitur cognitio non est eorum substantia, nam cum ipsis semper elset.

Hæc omnia recte probant sententiam Aristot. non solum falsam, verum etiam nota erroris di- gnæ esse: cumque non sit maior ratio de intelli- ctione aliarum rerum, quam sui ipsius in Angelo, cum & patres allegati ab ijs, vlla distinctione vni- uersum de intellectione loquantur, opinio etiam Durandi absurda erit: contra quam disp. 3. q. 6. in 2. disp. 7. q. 2. & in 2. disp. 3. q. 2. art. 1. conclus. 1. & Mar- tin. in 2. q. 7. art. 1. secunda parte, conclus. 2.

Lib. 10. de Trin. c. 11. ante mediu. 10. 3. Et 9. de Trin. c. 4.